B. N. C
FIRENZE
1 0 7 4
12

Digitized by Google

1074.12

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS STORCKII
EPISTOLA
AD R. P.
JACOBUM LADERCHIUM.

PATAVII
apud Joannem Manfrè
MDCCVIII.

Superiorum permiſſu.

1071.12

Digitized by Google

CLARISSIMO, ET PRÆSTANTISSIMO VIRO

CAJETANO LOMBARDO

JOANNES STORCKIUS

S. P. D.

UBi primum, Vir clariſſime, videre contigit, quæ tu edidiſti de Anima brutorum ſermonis Italici mira elegantia, & exquiſitis obſervationibus explicata, in tui admirationem adeo raptus fui, ut ſemper in votis habuerim obſervantiam erga te meam palam oſtendere; quod nuper etiam ardentius optavi,

poſtquam legiſſem nobiliſſimi Lazzarini defenſionem adverſus famoſum obtrectatorem tua cura vulgatam. Quare cum & ego ſtultiſſimi, & audaciſſimi hominis ignorantiam, & temeritatem brevi epiſtola caſtigandam ſuſceperim, ut tuam gratiam demererer, quam maximi facio, eam in tuo clariſſimo nomine apparere volui. Hanc pro tua humanitate, qua tantopere excellis, tanquam perenne obſequii mei erga te monumentum, excipere ne graveris, meque poſt hac, inter tuos ut recenſeas, Te etiam, atque etiam rogo. Dabam Patavii prid. Non. Dec. MCCVIII.

AD

LECTOREM.

Candide Lector, qui nudius tertius, Laderchio, & Laderchiano Ephœbo donantibus, feſtivè evoluebas typis editam Epiſtolam ad Equitem Florentinum, quinquaginta quatuor reſponſionibus conſtantem, pro actis Sanctorum Creſcii, & Sociorum, in cubiculis Laderchianis elucubratam, adverſus Reverendi Patris Gerardi Capaſſii privatam Epiſtolam ad Amicum familiariter ſcriptam; evolve, quæſo te, hanc itidem Epiſtolam in eundem Laderchium (ſeu perſonatum Polydorum) Epiſtolæ illius Creſcianæ Authorem, & perlecta, riſum, & indignationem contine, ſi potes. Hinc ex auricula Aſinum, & ex ungue Porcum noſcito. Si enim tot tantiſque mendaciis, impoſturis, naeniis, anachroniſmis, ineptiiſque paucæ aliquot lineolæ Laderchianæ ſcatere dignoſcuntur, quodnam ſpurciſſimum Augiæ ſtabulum in toto volumine ſubinde examinando non reſerabitur Laderchiani iſtius libelli

li, cum nullo alio facile comparabilis , niſi fortaſſe cum vita Sancti Onuphrii ſtudio Rauli Anagnini edita. Innumeras ſordes, & ſtultitias mirifice profecto deſignavit Poeta nobilis in Satyra nuper in Urbe vulgata hiſce carminibus.

Extat & *Innumeris* quædam reſponſio *Mendis.*
Plena(pilis plena innumeris, ut cauda juvenci)
Eximio doctoque viro transmiſsa Capaſso:
Pectinis ante aram hac melius, quam thure litabis.

Vale Amice Lector, & Laderchianis fabulis diutius oblectare , quemadmodum & ego quidem mirum in modum oblector.

Prætermiſſis minutionibus, lector hæc corrigat.

pag.4. lin.7. dele	non
pag.21. lege	Commodum
pag.24. lin.20.lege	ligna
pag.29. lin.13. lege	Tecum
lin.15.lege	ad te

JOANNES STORCKIUS

JACOBO LADERCHIO SANITATEM.

NUNQUAM profecto, e cordatis viris, cuiquam in mentem veniſſet, eo cœcitatis & amentiæ te perveniſſe, Jacobe Laderchi, ut nuper multo ſale perfrictus, acetoque liberaliter perfuſus, iterum eruditos ad caſtigandas tuas ineptias, atque ad compeſcendum tuæ temeritatis auſum, ultro invitares, immo laceſſeres. Putabatur a noſtris, Patavini Lycæi, profeſſoribus, ea, quæ in ſtolidiſſimam tuam de S. Petro Damiano Hiſtoriam a literatis viris Pariſienſibus ſcripta fuerant, conſilium tibi excuſſiſſe, fœdioribus iterum inquinandi ſordibus chartas, cum te omnino de ſtatu mentis ſcriptitandi libidine deturbatum, nemo tam facile crediſſet. Sejanum, illum feſtivum hominem, te tibi ſatis oſtendiſſe, teque, illius opera prudentiorem factum, ad te rediiſſe, multi cenſebant. Hæc tamen opinio illos fefellit. Cum enim in latebris ad declinandas publicas ſubſannationes, te abditum arbitrabantur, en rurſus errorum, calumniarum, ineptiarumque ſtipatus caterva, te ſuperbe, magnificèque circumſpiciens, plaudente & ovante cirratorum agmine, alteram profers ingenii tui fœturam,

qua Rempublicam literariam locupletare, & Actis Sanctorum lucem afferre, tibi videris: quaſi vero docti homines, præterquam ad riſum eliciendum, ineptias tuas legere conſueverint; aut cum genuinis Actis Sanctorum recenſeri mererentur fabuloſæ tuæ narratiunculæ, ſpiſſis anachroniſmis ad nauſeam cumulatæ, & tuis deinde illis ſtultiſſimis Commentariis aſſertæ. Si hoc a te factum, ut locum inter eruditos, quo te Sejanus nullo negocio dejecit, recuperares, plane falleris; cum jamdudum, illa ſede te eſſe prorſus indignum, perſuaſum ſit omnibus. Si hoc animo novam opellam tuam obtruſiſti in publicum, ut vulgo imperito imponeres, ac rudis plebeculæ, cirratorum auram, laudeſque lætus captares; male tibi omnino conſuluiſti, quod indoctorum ſolo patrocinio, conclamatam audacis tuæ ignorantiæ cauſam tuearis, adſcitis inſuper amaſiis tuis, cucullatis nonnullis, in tuam clientelam, quorum ſane doctrina vel hinc eluceſcit. Si vero tuis erroribus, hallucinationibus, mendaciis, conviciis, ac deliramentis auctoritatem nomini tuo conciliare cogitas, quam longiſſime a via, qua itur ad non falſam gloriam, deflectis: cum omnibus notum ſit, illos intempeſtive ad convicia, & ad contumelias confugere, quibus rationum patrocinium deeſt, quo ſe defendant. Sin tandem tot in unum congeſſiſti projectiſſimæ temeritatis

tis

tis propudia,ut eruditos in tuas partes traheres; judicium profecto par ingenio tibi eſſe hinc apparet, dum abjecto pudore, hanc illis injuriam infers, eos fungos, ac ſtipites, tui ſimiles, contemtu maximo, reputans, ut centies in rebus vulgatiſſimis præſtitiſti, ſingulis paginis & lineis Epiſtolæ tuæ ad Equitem Florentinum contra R. P. Gerardi Capaſſii privatam Epiſtolam, ad amicum ſcriptam. Sed heus, lubet experimentum capere a re grammatica, ubi locum Epiſtolæ Cleri Romani ad Carthaginienſem, (a) quæ tertia eſt inter Cyprianicas, *de viduis, & clydomenis* (ſive ægrotis) *qui ſe exhibere non poſſunt,* novo & hactenus inaudito commentario, tu unus contra omnes, noſtræ ætatis Varro, illud *ſe exhibere*, pro *ſe ultro offerre Gentilibus*, interpretaris. Dolendum eſt Eraſmum, Pamelium, Rigaltium, Priorium, & Fellum, hanc lepidiſſimam tuam explicationem latuiſſe, dum omnes locum illum & alterum ejuſdem Cypriani libro 3. cap. 61. ad Quirinum, ubi ait: *Habentes exhibitionem & tegumentum, his contenti ſumus,* de neceſſaria ad vitam ſuſtentatione, non, ut tu, ſtultiſſime, de ſui oſtenſione, Gentilibus ultro facienda, reddiderunt. Miſereor quidem Sanctorum Patrum conditionis, quorum veneranda ſcripta tam turpiter fœdas. Si Tertulliani, Cypriani, aliorumque Patrum lectioni inſuetus,

(a) *Pag. 37. linea 13.*

perpetuam eorum phraſin non noveras, Paſſeratium ſaltem conſulere debueras, in cujus Lexico hæc legiſſes: *Juriſconſulti utuntur hoc verbo* (exhibere) *pro, vitæ neceſſaria ſuppeditare.* Si in re Grammatica adeo enormiter laberis, quis putet, libello tuo tot ſordibus ſcatenti, totque immanis fatuitatis tuæ ſignaculis redimito, non labem Capaſſio inferri, ut tu perverſo animo credidiſti? Immo illi apud eruditos fama inde magis conciliatur, tibi autem æterna infamiæ nota adſpergitur. Sic plane ſe res habet: nec ibis inficias, ubi tuas ineptias mente nonnihil ſerena perpenderis. Abnuis? mecum rem obiter conſidera. Familiarem Epiſtolam ſcripſerat ille, ut ſcis, ad amicum, quem eruditione æque ac probitate ſpectatiſſimum, inter alios, ii omnes quibus reconditæ, ac interioris litteraturæ ſtudiis excultus eſt animus, laude ſincera ubique concelebrant. Virum ſummum Capaſſius conſuluit, ab illo percontans quid ſentiret de iis Actis, quibus adſuere veritatem ac ſinceritatem manibus, pedibuſque adniteris. Cum multa in aliam a tua opinionem, Capaſſii animum traherent, ab amico petiit, ut, quæ tu nihil hæſitans in forum tam confidenter emiſeras, accuratius expenderet: quæque ſibi mentem dubitationibus diſtrahebant, conſideraret. Huc ſpectavit doctus Capaſſius: hæc Epiſtolæ ſcribendæ
cauſa

cauſa fuit, o magne Laderchi. Si alia mens illi fuiſſet, non quidem Epiſtola manu exarata, conſuluiſſet amicum; ſed vocatis in aliud examen tuæ ſupremæ ignorantiæ aberrationibus, pro ſua non vulgari eruditione te humaniter plurima docuiſſet, a quorum cognitione longiſſime abes, æternumque aberis. Sed tu eam Epiſtolam, utroque inconſulto, fraudulenter & Punica arte evulgans, tuaſque illi nugas, ſeu verius ſpurciſſimas contumelias adjungens, conſecutus es, ut, comparatione facta, in abditiora eruditionis penetralia amplum Capaſſio ingreſſum patuiſſe omnes viderint; ac tu, ne remotiſſime quidem doctrinarum limina ſalutaſſe cognoſcaris. Sublimi vertice ſidera ferire tibi videris nonne, Laderchi, dum Epiſtolam, a te malo animo in vulgus productam, oppugnas, notas, coarguis. Mirifice triumphas ubi auctorem rabida mordacitate traducis, nequiter illius meritum elevas, doctrinam extenuas, eruditionem malignus irrides: dumque illum meretriciis contumeliis oneras, mendaciis in invidiam vocas tuæque inſcitiæ probroſis commentis, tui ſimilem referre conaris. Quis tanta audentis non ſuccenſeat inſanæ temeritati, non ſtomachetur cœcum, fatuumque ſtuporem, quo imprudens iis, quibus tantum ſubobſcure notus eras, te palam oſtendis, ac ultro deridendum, & damnandum objicis immemor inſtitu-

ti tui, immemor veritatis, & eorum omnium, quæ deceant accuratum, prudentem, ſincerum, catholicum, & Chriſtianum hominem? ut Capaſſio invidiam apud vulgus ignarum confles bis enormiter peccare non erubeſcis in iſthac Epiſtola tua (b) ubi *Patrem æternum cum malignis Angelis* confundis, & D. Auguſtinum blaſphemo calamo inter hæreticos *Priſcillianiſtas* recenſes. An monſtra hæc commentum te eſſe inficiaris, & me Sycophantam putidique mendacii reum traducis? Age ergo, & recita, quæ ibidem effutis: *præter Priſcillianiſtas*, inquis, *duo principia admittentes, unum rerum ſpiritualium, & inviſibilium, quod filium eſſe dicebant, alterum viſibilium & Patrem nuncupabant, nemo qui Cælorum nomine inviſibiles tantum creaturas intellexerit, adinvenire eſt*. Recitaſtin? gratulor. Lege modo Auguſtinum in libro de hæreſibus ad Quod vult Deum, hæreſi 70. prope medium: *Priſcillianiſtæ opificium omnis carnis, non Deo bono & vero, ſed malignis Angelis tribuunt*... & fere ad calcem. *De Chriſto Sabellian. m Sectam tenent, eundem ipſum eſſe dicentes, non ſolum Filium, ſed etiam Patrem, & Spiritum Sanctum*. Huc uſque Auguſtinus. Bone Deus, quam longis paraſangis Priſcillianiſtæ veri a Priſcillianiſtis, e cerebello Laderchiano natis ſunt diſſiti! Illi Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum non diſtingue-

(b) *Pag. 88. l. 1.*

gucbant: Tui, o Laderchi, nedum diſtinguunt, ſed & in bonos & malos diſcerpunt: Illi malignos Angelos; Tui Patrem æternum pro principio rerum viſibilium agnoſcunt. O deplorandam rerum Eccleſiaſticarum ſortem, cerebro Laderchiano, ſuſque deque omnia ſubvertenti, concreditam! Adhuc non tui mifereris? adhuc te non pudet? pudeat ſaltem, Priſcillianiſtam te feciſſe Auguſtinum; cum S. Pater lib. imperf. de Geneſi ad literam cap. 3. ex cenſu eorum ſit, *qui cœli nomine omnem creaturam inviſibilem non incongrue intelligi poſſe* docuerunt; quam ſententiam inter Priſcillianiſtarum errores Tu, Theologorum maxime, arrogantiſſima ignorantia adnumeraſti. Nunquid audebis & Auguſtino eo loci erroris aut hæreſeos notam inurere? o mortalium impudentiſſimum! aures porrige, ni eruditas, ſubmiſſas ſaltem S. Vincentio Ferrerio, de Auguſtino dicenti. *Audeo dicere: omnes Doctores, qui venerunt poſt Auguſtinum, ſuſtentantur ſuper ejus doctrinam ſanctam, puram, immaculatam, auri puriſſimi ſine errore falſarum opinionum*. Sed conſequens erat, ut poſt execrandas blaſphemias tuas in Patrem æternum, etiam Sacram Eccleſiæ traditionem evertere conareris. Hoc egregie præſtas tribus integris paginis,(c) ubi contendis (horrendum dictu!) in *quatuor primis Conciliis œcumenicis*, traditionem Fatrum

(c) *Pag. 74. 75. 76.*

trum adverſus hæreticos, nunquam in ſubſidium adductam fuiſſe, non in Nicæno, non in Epheſino, non in Conſtantinopolitano, non denique in Chalcedonenſi; ſed *unam* quidem *Sacram Scripturam*. Cur vero? quia hoc erat prorſus *indebitum, inſolitum, & vetitum*. Bone Deus in quæ peſſima tempora devenimus! Per hominem Sacerdotali charactere inſignitum; Annalium Eccleſiaſticorum Scriptorem, Theologorum amaſium, eruditorum ocellum, in urbe Roma propugnatur, integris paginis defenditur & docetur hæreſis, omnium hæreſum matrix! Quid aliud, quæſo, dicunt Lutherani, Calviniſtæ, & Sociniani, quam *indebitum, inſolitum & vetitum* fuiſſe in Eccleſia primitiva confugere ad traditionem Patrum? Immo cordatiores hæretici vix tantum audent, ac tu audes. Quid aliud clamant, quid aliud blaſphemant nequiores hæretici, quam ſolius Sacræ Scripturæ adminiculo primis ſæculis de Religione tractatum; ideoque male egiſſe Sacroſanctum Concilium Tridentinum, dum ſeſſione 4. in definitione dogmatum duplicem regulam præſcripſit, alteram Sacræ Scripturæ, alteram vero Traditionis Patrum, ſeu verbi Dei ſcripti, & traditi? Viden, te exſecrandis hæreticis manus dare, qui omnes tecum ſentiunt, omnes Patrum traditionem tecum rejiciunt, mentientes, primis Eccleſiæ ſæculis Pa-
trum

trum traditionem rejectam fuiſſe, unamque Sacram Scripturam adhibitam? Sed quia blaſphemias blaſphemiis ſubſtrui neceſſe eſt, in teſtes vocas Athanaſium, Bellarminum, & Baronium, ac ſi tanti viri tam nefandas hæreſes protuliſſent, cum, ut par erat, contrarium omnino docuerint. Etenim Athanaſius in libro de Decretis Nicænæ Synodi ait, ſententiam Catholicorum *ex Patribus ad Patres per manus traditam fuiſſe*. Baronius vero & Bellarminus in locis, a te mendaciſſime indicatis, non ſolum non dicunt quæ tu illis falſo, & per ſummam calumniam affingis, ſed omnino contrarium docent. De Concilio Epheſino hæc habet Vincentius Lirinenſis in Commonitorio: *ubi cum de ſanciendis fidei regulis diſceptaretur, catholiciſſimum, feliciſſimum, atque optimum factu viſum eſt, ut in medium Sanctorum Patrum ſententiæ proferrentur*. Ergo *hæreticiſſimum, infeliciſſimum*, atque *peſſimum* eſt affirmare, in medium Sanctorum Patrum ſententias non fuiſſe perlatas, quod tu impudenter affirmas atque contendis. Huic affine eſt quod affirmas, (d) *plurimos* ſcilicet *libros* Sacræ Scripturæ, non præteritis ſæculis, fuiſſe oppugnatos; ſed tempore præſenti poſt Concilii Tridentini dogmaticam definitionem, non ab Heterodoxis tantum, ſed a Catholicis *oppugnari*. Vah blaſphemi oris hære-

re-

(d) *Pag.6.lin.17.*

reticam aſſertionem! Quis Catholico nomine dignus *plurimos libros* Sacræ Scripturæ poſt Tridentinum anathema hodie *oppugnat* ? Quis ullo unquam tempore ex Catholicis *plurimos oppugnavit* ? Itane in hac hæreſi es , ut putes quempiam poſſe rejicere *plurimos libros* Canonicos, eundemque eſſe Catholicum? Horrendum ſane eſt , in ſinu Religionis noſtræ tam impia dogmata vulgari ab homine qui Annales Eccleſiæ deſcribendi onus ſibi ultro impoſuit , & paſſim hoſce libellos laudari & diſtribui a cucullatis illis qui ſe Theologos eſſe gloriãtur! Laderchi quanto præſtitiſſet , te latere tuam intra pelliculam, continere teipſum, ac ſilẽtem in ſeceſſu, tirocinium in iis ponere ſtudiis, quorum ne prima quidem elementa calles ; quam inſipientiſſima ſuperbia raptum primas inter doctos ſedes tibi debitas putare, cum nec dignum, qui ſub infimis ſedibus jaceas, te oſtendas! Ecquidnam, Laderchi, te permovit, ut conſilium tam præceps ac tam delirum inires ? Nunquid illatam a Capaſſio immanem tuæ dignitati injuriam exiſtimaſti, quod epiſtola familiariter ad amicum ſcripta , non vero typis edita (quod nunquam clariſſimo viro in mentem venit) de veritate illorum , quæ nullo delectu congeſſeras in Acta tui Sancti Creſcii , ſubdubitare potuerit? An vero bilem tibi movit , quod eruditionis , licet proletariæ , quam putide jactas, valdè

valde curtam tibi eſſe ſupellectilem,brevi Epiſtola patefecerit? Hinc tuæ furentis in illum iracundiæ cauſa? Adeone de ſanæ ſtatu mentis unæ te litterulæ dejecerunt? Si quem amicum, aſſentationis, ſtudii,livoris, ac odii cauſas procul habentem; non vero tuam illam, quam de te habes opinionem, conſuluiſſes, tibi ſine dubio auctor fuiſſet, ne dementia tam præcipiti facile te abripi ſineres. Ego quidem, ſi meam ſententiam popoſciſſes, vel a ſcribendo dehortatus eſſem, ne tuam ignorantiam ac temeritatem latius evulgares: vel, ſi a propoſito meæ te verba non deterruiſſent(quod ſcribendi conſilium tam alte infixum eſſet animo,ut non potuiſſet revelli)ad ſtringendum potius calamum in Sejanum te incitaſſem. Æquior plane cauſa hæc erat,ſi adverſus illum ingenium, & eruditionem vocaſſes in auxilium; ſi conſcripſiſſes in tui defenſionem tot ſtrenuos duces & milites, eruditis præliis claros, quorum nomina, ut Capaſſium oppugnares, eduxiſti in aciem literariam. A Sejano deriſus, lepidis dicteriis perſtrictus, ferula, ut puer elementarius, verberatus,taces, ac ne hiſcere quidem audes: & a Capaſſio nulla provocatus injuria, ſed tantum ſummo non habitus in honore, quem tibi, ut eruditorum maximo, debitum credis, furis, debaccharis,inſanis, nihil veritus publicum eruditorum judicium, tuamque ignominiam,

quam

quam ſpiſſis mendaciis, & falſis teſtibus & interpretationibus in ſingulis paginis millies tibi paras. Define define, garrule Laderchi, illotis manibus, & congeſtis dolis tractare antiquos Scriptores & ad pædagogiam te converte, niſi forte Sejano parcas, quod imparem certamini cum illo te cognoſcas, ac timeas, ne, ſi cum illo congrediaris, turpiter victus cadas, ac male pugnans, temeritatis pœnas luas. Si hæc formido in cauſa eſt, cur contra Sejanum deſcendere in arenam detrectes, ne illius telis, erudita vi contortis, alia vulnera tibi inferantur, nondum obducta cicatrice illorum, quæ tibi nuper inflixit, conſilium non improbo. In hoc non videris imprudens, novis te objicere periculis recuſans. Capaſſium autem cur aggrederis? cur lymphato impetu in eum irruis? Adverſarium tibi nimirum finxiſti, viribus invalidum, ac non multa opera vincendum; jam a te fuſum, profligatum, ac omnino attritum: inſignem de illo triumphum, atque opima te retuliſſe ſpolia: & in perenne tantæ victoriæ monumentum erexiſſe de victo trophæum, nulla temporis injuria delendum, quod plauſu poſteritas admiretur, inani aſſentatione, ridendaque jactantia, tibi ſuades? Hanc tam illuſtrem gloriam pulchrumque decus, plane tibi gratularer, ut ambitioſæ tuæ inſcitiæ placerem, ſi ex iis eſſem, qui plurimam a te gratiam ineunt, cum tibi aſſentantes,

Vi-

Virum te ſummum jactitant,eruditioribus accenſent, unumque te, qui Baronii, ac Raynaldi famam ſuſtineas,ac illuſtrius augeas , ludentes prædicant. Si hujuſmodi putidiſſimis mendaciis tibi adularer, me libenter adnumerares inter illos , quos plurimum diligis: quamvis mecum tacitus riderem tuam vecordiam, ut vel illi ex tuis faciunt , quibus in corpore mica ſalis adhuc ſupereſt . At non eum me natura finxit, ut, ſinceritate abjecta , veritatem indigne prodam, quam tu miris modis ubique prodere conaris,(e) quemadmodum ubi in Capaſſium furis quod Homoeuſion Arianis tribuerit , quod Semiarianorum fuiſſe contendis . Atque hic tibi plaudunt Theologaſtri illi de trivio , hic tuum numen adorant ; ſiquidem illi æque ac tu , in rebus Eccleſiæ penitus hoſpites ignorant , nomen Semiarianorum a nemine apud veteres uſurpatum fuiſſe præterquam ab Epiphanio; non ab Athanaſio , non ab Euſebio, Chryſoſtomo, aut Hilario; non a Socrate,Ambroſio vel Auguſtino;ſed hos omnes *Arianorum* vocabulo ſemper uſos fuiſſe ad deſignandum eos, qui *Homoeuſion* profitebantur . Hoc vero profitebantur,licet ſenſu diverſo, non modo illi, qui poſtea *Semiariani* dicti fuerunt,ſed *Ariani* etiam, & ex Catholicis plurimi;quemadmodum te docere poterat Petavius de Trinitate lib 4.

(e) *Pag.*10.*lin.*1.

lib.4.cap.6.num.1: ſed unus pro omnibus Hieronymus te ſupinam ignorantiam tuam dedocere poterat, illis vulgatiſſimis verbis in Dialogo contra Luciferianos, (f) ubi loquens de Synodo Ariminenſi, in qua pro *Homouſio*, ſubdole *Homoeuſion* obtruſum fuerat, dolenter exclamavit: *ingemuit totus orbis, & miratus eſt ſe eſſe Arianum*. Audin', Hieronymum orbem *Arianum*, non *Semiarianum* appellantem? Anne Hieronymum etiam & ceteros Patres, una cum Capaſſio, tanquam ineruditos irridebis? Quid Cardinalem Aguirrium in teſtem tuæ maleferiatæ eruditionis producere audes? O impudentiam vere Laderchianam! Aguirrius aſſertores vocis *Homoeuſion*, non ut tu mentiris, *Semiarianos*, ſed *Arianos* etiam vocat in loco a te laudato pag. 76. Laderchi, ſinceris monitis veritatem tibi detego. Si tibi ſanæ mentis quidquam reſtat, non ſolum vera monentem boni conſulere deberes, ſed non vulgarem etiam habere gratiam, quod disjectis ac diſſipatis obcœcatæ inſcitiæ nubibus, quæ tibi te occulunt, non obſcure te tibi oſtendo. Audi. Quas ovationes tibi non decernis, quæ ſcommata non eructas dum credis, te adverſarium in immani errore implicitum deprehēdiſſe ubi ait, Ephræmum apud Photium Cod. 228. diſerte teſtari, Sanctum Leonem Pontificem, *primum omnium ſub anathemate decreviſſe*, ut B. Virgini nomen

(f) *Pag.* 110.

men *Deiparæ* tribueretur,quod tribuitur in tuis illis Actis Creſcianis, ducentos annos ante Leonem Magnum, ſi tibi credimus, conſcriptis? Reſpondes, Ephræmum longè ante Leonem vixiſſe; ideoque ut Leonem, qui ſæculo quinto floruit, laudare potuerit, *duplicem nativitatem* Leoni adſignandam, alteram ante, alteram vero poſt Ephræmum *quarti* ſæculi auctorem. Præterea, apud Photium Cod.228. ne per ſomnium quidem ea de re mentionem fieri. Belle argutaris, cauſam tuam belle agis, Laderchi, antiquitatum Eccleſiaſticarum peritiſſime, modo tamen *unus* tantum Ephræmus extiterit, quod pueriliter & ſtulte opinaris. Sed, vir magne, non unus fuit, ut ſomnias, Ephræmus, nempe celebris ille Syriacus, omnibus notus; ſed & alius fuit, Antiochenus, ſive Theopolitanus Patriarcha, indoctis & amentibus parum notus. Hic vixit poſt Leonem Magnum, tempore Juſtiniani Imperatoris, huncque indicavit Criticus ille oculatiſſimus, qui te hujus Ephræmi auctoritate ad inſaniam adegit; unde luſum illum tuum de *duplici Leonis nativitate* effutiiſti. Quod vero ad Photium ſpectat, eximii illi adoleſcentes, quorum opera in ſarcinandis voluminibus uteris, te deceperunt, tibi nunciantes, Photium Cod. 228. de Ephræmo non loqui, vel legere neſciverunt (quod credibilius eſt) vel Photio, in Utopia

edi-

edito, uſi ſunt; nam in ejus Bibliotheca, quæ excuſa eſt apud nos Europæos, Cod. 228. & 229. exhibet opera Ephræmi Theopolitani a pag. 747. uſque ad pag. 831. qui quidem affirmat, Leonem Magnum *primum omnium perſpicue* ſtatuiſſe, ut *Deiparæ* nomen, Beatiſſimæ Virgini tribueretur, *cum nemo tam clare* ante ipſum locutus fuiſſet, ut videre eſt pag. 775. editionis Rotomagenſis anni 1653. Iubet enim tam minuta tibi, craſſi ingenii homini indicare. Hic vero Ephræmus laudat Ephræmum illum Syriacum Cod. 229. pag. 819. ne rurſus *utrumque* Ephræmum, in *unum* confles, & poſtea tumidus triumphum canens, adverſario temerarius inſultes. Falleris, crede mihi, Laderchi, cum tot ineptiarum purgamentis (ut ſoles) chartas fœdas, ſi viri docti nomen, & famam te conſequi putas. Iis omnibus, qui non ignorant, quantum a Lupinis, ut dici ſolet, aera diſtent, uberrima te irridendi argumenta ſuppeditas: quod facis potiſſimum pag. 30. ubi ais *præceptum* non eſſe idem ac Italice *comandamento*, illudque confundis cum *lege*, cum utriuſque diverſitatem diſcere potuiſſes, ſi non aliunde, ſaltem ex Buſembau lib. 1. tract. 2. cap, 1. dub. 1. ſed & aliam rem plane feſtivam narras, nam pag. 31. ais, præceptum fugiendi perſecutiones fuiſſe *ad tempus*, & pag. ſequenti de hoc oblitus, omnino contrarium doces, nempe *Dei præ-*
ce-

ceptum ſemper natura ſua obligare. Quod vero ſcribis pag. 33. non feſtivum, ſed turpiſſimum eſt; ibi enim laudas Baronium anno 253. tanquam tradentem, a Cypriano vetitos fuiſſe Clericos ſuos perſecutionem fugere, cum Baronius omnino contrarium aſſirmet his verbis ibid. pag. 408. editionis Romanæ: *qui ne Chriſtum negare cogerentur, dimiſſis omnibus, ſe ſubtrahebant, qui etiam inter Confeſſores annumerabantur*. Cyprianus autem in libro de Lapſis *fugitivos* pro *Martyribus* habet. Sed quandoquidem huc devenimus, nullo pacto præterire licet aliquot grandiores, inauditas, & mirum in modum ridiculas antilogias, quibus mentem tuam ſemper ſomniantem, explanas. I. cum dixiſſes Creſcium (g) in grave peccatum lapſurum, ni Decio *dogmata noſtræ fidei revelaſſet*, alibi ais (h) *Symbolum noſtræ fidei non ſcripto, ſed memoriæ tantum commendandum fuiſſe, ne myſteria & dogmata fidei ethnicis panderentur*. II. affirmas (i) *formulas Symboli primis eccleſiæ ſæculis literis fuiſſe traditas*, & poſtea contendis (k) *non fuiſſe ſcriptas*. III. Nos doces, eas (l) *tantum formulas Symbolo fuiſſe inſertas*, quas ob *hæreſim aliquam ſubortam, Concilia dictaverant*, & alibi ais (m) *quamplurimas formulas Symbolo* inſertas fuiſſe a nullis Conciliis decretas & *ante omnes hæreſes*

B exor-

(g) *Pag.* 56. (h) *Pag.* 117. (i) *Pag.* 64.
(k) *Pag.* 117. (l) *Pag.* 64. (m) *Pag.* 115.

exortas. IV. Myſteria (n) *fidei per Creſcium Decio interroganti revelata fuiſſe*; & ſubinde *nõ Decio, ſed Cathecumenis revelata fuiſſe* decernis (o). Anne Decius erat unus ex Cathecumenis? V. Symbolo Apoſtolico inſertum non fuiſſe ſcribis (p) articulum illum *deſcendit ad Inferos*, qui a de eo tunc (nempe ævo Creſciano) *nulla ſuborta fuerat hæreſis*, & paulo ante tradideras, ut jam dixi, (q) quamplurimas formulas ſymbolo inſertas fuiſſe ante omnes hæreſes exortas. Inſula illa ſomnialis, a Poëta Italo deſcripta, monſtris his tuis ſimilia, unquam ne protulit?

O di quante fantaſtiche bugie
Moſtruoſe apparenze intorno vanno,
Sogni ſchivi del ſol, nemici al die,
Fabbri d'illuſion, padri d'inganno,
Minotauri, Centauri, Idre ed Arpie,
E Gerioni, e Briarei vi ſtanno
Chi Sirena, chi ſfinge al corpo ſembra
Chi di Ciclopo, e chi di Fauno ha membra.

VI. ut Capaſſium calumnioſiſſime hæreticis Neſtorianis accenſeas, a Neſtorio Deiparæ *titulum* B. Virgini tributum fuiſſe contendis, & conſequenter hac eadem Neſtoriana hæreſi ex te infectos eſſe oportet Dionyſium Alexandrinum, Origenem, Amphilochium, Athanaſium, & Nazianzenum, a quibus eundem *titulum* B. Vir-

(n) *Pag.* 56. (o) *Pag.* 194.
(p) *Pag.* 118. (q) *Pag.* 115.

Virgini tributum fuiſſe teſtaris: quo eodem pacto Sanctum Auguſtinum hæreticum Priſcillianiſtam facere non dubitaſti. Heu te miſerum! fieri ne poteſt ut veteres Patres tam facile, te auctore, hæretici evaſerint? Cave, cave, Laderchi, hanc novam Theologiam doceas Polydorum tuum, vel a Polydoro tuo cave illam diſcas, ne lux & tenebræ, infernus, & Paradiſus per te miſceantur, quod jam facere dudum cœpiſti. Laderchi, ſi me audies, poſt hac perituræ parces chartæ, nec libros amplius conſcribes, quos jure ſibi adjudicent ſcombri, penula, qua ſe involvant, indigentes. Vera dicenti rurſus iraſceris? Bona verba, quæſo, ne tam facile ira te abripi ſinas. An Chirurgo ſuccenſeres, qui ulcus non molliter tractaret, quod te male haberet, ut morbum ille depelleret? ut morbo quo divexaris convaleſcas, nec ferro in te ſævio, nec amaris & inſuavibus medicamentis negotium tuo palato exhibeo: immo nec Anticyram, ut opus eſſet, navigare te jubeo, ut helleboro ſanitatem deliro capiti reſtituas. Mitius quam, ut iccirco iraſcaris, tecum ago; morbum, quo laboras ob oculos tantummodo pono, ut optio tibi integra ſit, medicamenta eligendi, quæ leviora videantur, quibuſque mitius ægrotes. Placatus igitur aures præbe, cum de tua valetudine, quam tibi non ingratam arbitror, ſerio agatur. Ambitio, & iracundia, cum in-

inſcitiæ ſuperbia junctæ, ad inſaniam te adegerunt. Nec rem aliter ſe habere poſſe Liber, quem evulgaſti, aperte demonſtrat. Nemo quippe non inſanus, tot ineptias, calumnias, aberrationes, mendacia (& quid non?) data opera ſimul congerere poſſet, aut vellet, ſi vel paululum ſui compos foret. Quare hinc vides te in ridiculum murem evaſiſſe, dum in hominem re & profeſſione *Theologum* ignorantia tua bacchari geſtiiſti. Auctorum verba, in alienum a vero, ſenſum, paſſim detorques, ut in ſpeciem favere tibi videantur. Obvia quæque, nullo rerum examine inſtituto, arripis; tuo arbitratu ſententias corrumpis, vitias, pervertis & conturbas, res ipſas, luce clariores tuæ malitiæ, ac ignorantiæ tenebris obducis: rationem temporum ita ubique confundis, ut rerum geſtarum ſeriem omnino permiſceas, ordinemque ſubvertas. Irato ſtupore correptus, hæc audiens, frontem contrahis? Pauca dixi, quid plura? Scriptoribus pleriſque affingis deliramenta, quorum, ſi e ſepulchris exiſterent, plurimum illos puderet, ne per ſomnium quidem illa ſibi veniſſe in mentem, optime conſcios. Nec dum ſatis, multos per vim in tuam ſententiam trahis, qui alia quævis ab iis, ob quæ illos conſentire tecum vis credi, pertractarunt. Criticen alios doces, res dijudicandi omnino imperitus. Argutias libro interſpergis, quas, ut inſulſiſſimas,

vel

vel quam maxime obeſæ naris homuncio, riſu ac indignatione explodat. Dicteria & ſcommata identidem intermiſces, quæ acuta credis, & piſtillo retuſiora ſe produnt: lepidis autem argutiarum deliciis, quæ tibi hujuſmodi videntur, quibuſque cor frementibus exaſperatum curis fallis, nihil inurbanius, abjectius, puerilius, & frigidius. Ratio Italice ſcribendi non abſimilis rationi ſcribendi latine. Hoſpes omnino in utraque lingua dignoſceris: ſeu verius infans, cui diuturnum tempus tranſigendum, ut progreſſu ad ſubducendas ferulæ manus, quod tibi nondum contigit, ſibi viam faciat. Ipſe tamen, quanquam barbarus, horridus, incomtus, ac ruſticitate inconditi ſtyli plane agreſtis, veluti ſummus utriuſque linguæ arbiter tibi places. Væ tibi, ſi forte in Sejani manus Liber tuus venerit, non poteris effugere, quin laute illius ferulis rurſus vapules. Commodum mentitus vilem, & procacem puerum, tibi famulantem, prodiiſti, ut aptiorem ad verbera excipienda te præberes. Plagoſi hominis ingenium te ſatis experientia docuit. Niſi ferreis chirothecis, tuis manibus conſulas, iis valde metuendum. Quam vero in auctoribus evolvendis ſis peritus, ſatis ſuperque evincunt eorum nomina, quæ ridiculum in modum corrupiſti in hac tua Epiſtola ad Equitem Florentinum, ut jam vix cognoſcantur. Marcum *Velſe-*

rum

rum conterraneum meum, appellas *Valſerum*; aiſque edidiſſe Acta S. Pionii,(r)quod nunquam viro doctiſſimo in mentem venit. Sed ideò *Velſerum* in *Valſerum* mutaviſti, huncque Acta Sancti Pionii edidiſſe finxiſti, ne quiſquam tui mendacii latibulum reperiret, nemo enim *Valſerum* unquam ſane reperiet, qui nunquam fuit. Sed Acta Pionii, mi Laderchi, paſſim reperiuntur, præcipuè vero apud Ruinartum, ubi pag. 128. impoſtura tua patefit, dum ibi legitur *Eccleſiæ*, non *Religionis*, quod tu mentiebaris. *Paulo Lango*, nomen proprium, ut nunc loquimur, aufers, & cognomine (ſ) in nomen, Patriaque in cognomen mutatis, *Langum Sileſium* appellas. Fridericum *Sylburgium* in *Silsburgium* (t) tranſire jubes. Joannem *Veccum* in *Beccum*, (u) hominem Græcum in hircum Italicum. Conradum *Geſnerum* (x) *Medicum* in *Geſnerum Principem*. Godefridum *Henſchenium* in *Eſchenium*. *Odonem* in *Udonem* (y). *Heribertum Roſ-Weydum* in *Roſuueidam* (z) feminam ſcilicet, more tuo, qui eandem fabulam luſiſti in Sancto Cardinali Petro Damiano, quem in *Damianam Cardinaliſſam*, metamorphoſi pluſquam poetica, mutaviſti, ut ex Sejano, te meminiſſe non dubito. Gabrielem *Albaſpinæum* in *Albaſpi-*

(r) *Pag.* 151. (ſ) *Pap.* 79. (t) *Pag.* 85. (u) *Pag.* 91. (x) *Pag.* 119. (y) *Pag.* 138. (z) *Pap.* 135.

ſpinetum convertis. Natalem *Alexandrum* (*A*) in *ab Alexandro*, ut nempe cum Alexandro ab Alexandro, Dierum genialium auctore, commiſceas, eo pacto, quo *duos* Ephræmos in *unum* (*B*) commiſcuiſti. Quis, licet Socraticus, a cachinnis abſtineat, ubi videat, a te citari (*C*) *Prudentium* in *Pariſte*, pro in *Periſtephano*? *Hermoldum* pro *Helmoldo*? In unica vero pagina Adonem Epiſcopum (*D*) *Trevirenſem* pro *Viennenſi*. *Beringarium* pro *Berengario*, *Beroldum hiſtoricum* pro *Bertoldo Conſtantienſi*: Hæreticos *Petrobruſſianos* pro *Petrobuſianis*: pro *Gilberto Gilibertum*? Alibi etiam nobis memoras (*E*) *Cinnam apud Plautum*; & vel hinc patet quantum Plautus tibi innotuerit. Ex innumeris, quæ ſingulas paginas aperienti, turmatim occurrunt, nomina propria, miſerum in modum a te depravata, hæc pauca curſim delibavimus; tu enim nō unum aut alterum, (*F*) ſed *centena millia auctorum* te legiſſe teſtaris: quod neminem, præter te unum, hactenus præſtitiſſe cognovimus, ideoque, tot tantiſque tuis in Eccleſiam meritis, purpureo galero donandus, hunc ingenii tui nobiliſſimum fœtum tute ipſe ſingulis Eminentiſſimis Cardinalibus, læto vultu, obtuliſti, ſine nomine inſcripto Ephoebi illius tui,

 lon-

(*A*) *Pag.*165. (*B*) *Pag.*171.
(*C*) *Pag.*172. (*D*) *Pag.*188.
(*E*) *Pag.*48. (*F*) *Pag.*131.

longe lepidiſſimi Polydori, cui tamen ſeorſum facultatem dediſti, ut exemplaria, ſuo egregio nomine inſignita, ipſe divideret, tanquam operis, ſuopte ingenio, conſcripti. Hæc de te, ac de tuo libro non inſipientium hominum judicia: hi vulgari rumores, ac ſermones, qui magis ac magis in horas percrebreſcunt, uberemque de te loquendi materiam præbent. Tranſverſam mentem tibi omnino eſſe, innumerabilibus argumentis certiſſimus fio. Cum enim Capaſſius in tuis illis Actis *culturam* pro *cultu* (G) religionis male uſurpari notaſſet, tu contra ſtatuens, Horatianum hunc verſiculum recitas. *Dulcis inexpertis* cultura *potentis amici*. ſed nunquid etiam *Parochos* noſtros Horatianis temporibus extitiſſe clamabis, quod idem Poeta lib. 1. Satyra 5. & lib. 2. Satyra 8. Parochos memoret illis carminibus.

——villula tectum,
Præbuit, & Parochi, *quæ debent, ſigna ſalemque*
Tum Parochi *faciem, nil ſic metuentis, ut acres*
Potores?

Nunquid *Epiſcopi* etiam noſtri, te judice, fuerunt tempore Ciceronis, quia is lib. 7. Epiſt. 12. ad Atticum, & alibi, *Epiſcopum* nominat? Nunquid *Pontifex Maximus*, Petri ſucceſſor, fuit ante Chriſtum natum, quia *Pontifex Maximus* tunc itidem Romæ habebatur? Nunquid Eccleſiæ Sa-

(G) Pag. 163.

Sacramenta, nunquid *Sacerdotes* noſtros a Chriſto Domino inſtitutos, fuiſſe dices longe ante ejus adventum, quod Sacramentorum & *Sacerdotum* antiquiſſimi Latini ſcriptores meminerint? (*H*) In eundem cenſum nugaciſſimum venire jubes priſca feſta *Paganalia*, ut verbum *Paganus* pro *Ethnico*, quod, (teſte Baronio & eruditis omnibus) poſt Conſtantinum Magnum, primum innotuit, Actis tuis tanquam antiquum & Decii temporibus contemporaneum vindices. (*I*) Idem omnino ludis ubi Cerbonem, ætate (non officio) *puerum*, inter adultos homines & *ſervos* haberi vis, quia ſervos, ab officio, *pueros* non raro appellatos legiſti. Hoc pacto lepidiſſimum modum inveniſti, quaſcumque fabellas etiam maxime aniles, venditandi pro veris hiſtoriis. Laderchi, Laderchi, tuam hanc inverecundam, projectamque audaciam nemo admirari ſatis poteſt. Vix quiſquam ſibi unquam perſuadebit, eo impudentiæ hominem, S. Philippi Nerii ſacra profeſſum inſtituta, deveniſſe, ut pietatis Chriſtianæ immemor, & contemptor factus, affectuum effrenatorum libidini ſe totum verſandum, ſe effuſæ licentiæ quaquaverſum pertrahendum tradiderit. O præclarum S. Philippi Nerii ſectatorem, ſucceſſoremque Baronii, qui tam accurate illorum nunquam ſatis laudata imitaris exempla, ſeque-

(*H*) *Pag.* 143. (*I*) *Pag.* 160.

queris veſtigia, exprimis ſanctitatem! Jugi meditatione geſtorum illuſtrium, quibus inclaruerunt Sancti, quorum Acta, ut ipſe jactas, credique vis, adeo perſpecta compertaque omnia, & ſingula penitus habes, ut illorum nihil te fugiat, id unum conſecutus es, ut te quamlongiſſimè ab illorum ſanctitate abeſſe patefeceris. Quis crederet, te cum Sanctis aſſidue verſantem, ex eorum virtutibus in te derivaſſe temeritatem pro modeſtia, pro patientia furorem, pro lenitate iracundiam, pro veritate mendacium, pro ſinceritate calumniam, pro animi demiſſione ſuperbiam, atque pro ſimplicitate malitiam. Hi de te ſermones, Laderchi, optume, maxume, ex quibus, quæ de te ſit hominum opinio, quantum amplitudinis ac decoris tuo nomini ex tuo Libro acceſſerit, quamque honorifice tuam exiſtimationem auxeris, facile potes cognoſcere. Hæc te monitum volui, quia ut reſipiſcas, pro meo in te ſtudio (chriſtiano ex amore profecto) vehementer etiam atque etiam cupio. Sed nondum finio quin monſtrorum Hercyniam a te excogitatam hic detego, ut declinares annum 250. perſecutionis generalis Decianæ a Capaſſio firmatum ex Dionyſio Alexandrino. (*K*) Ais enim epiſtolam ejus primam ad Alexandrinos ſcriptam, quo tempore fugit municipalem perſecutionem exortam. O ri-

(*K*) *Pag.* 15.

ridiculum caput! Mens, mens, Ladèrchi te fugit, non Dionyſius municipalem perſecutionem fugit, qui ſe eo tempore Alexandriæ commoratum diſerte innuit apud Euſebium lib. 6. cap. 41. ubi recenſitis primum martyribus Metra, Apollonia & Serapione, in ea paſſis ſubdit: *non per viam publicam, non per angiportus incedere aut noctu, aut interdiu nobis licebit*. Se fugiſſe quidem, Deo mandante, non municipalem, ſed univerſalem perſecutionem Decianam fatetur lib. 6. cap. 40. At tu cœlum terris, mareque cœlo miſcens utramque inſulſiſſime cōfundis, atque in hoc errore velut inſaniens putas primam illam ad Alexandrinos epiſtolam apud Euſebium lib. 7. cap. 20. ſcriptam fuiſſe anno 248., cum tamen poſt decennium tranſactum eam ſcripſerit Dionyſius extorris ſub Valeriano, ut omnes ex Euſebio teſtantur. Et quia inſanias inſaniis addere tibi volupe eſt, alteram ad Alexandrinos epiſtolam, in feſto Paſchali anno 249. ſcriptam fuiſſe nugaris, cum illam poſt annum 260. Valeriano captivo & pace Eccleſiæ reſtituta, Dionyſius Alexandriam regreſſus, exaraverit ob ſeditionem ibidem exortam, ut teſtatur Euſebius, apud quem, ſi oculos in fronte habuiſſes, capita xx. & xxI. a te laudata, uncialibus literis in vertice paginæ inſcripta legiſſes SUB GALIENO, indeque didiciſſes te ab Euſebio non menſis aut anni,

ſed

ſed *decennii* ſpatio aberrare in deſignandis epochis epiſtolarum paſchalium Dionyſii. Obſignaturus eram Epiſtolam, ne calamo indulgens, pluribus in tuas graves occupationes peccarem, teque diutius, quam ratio tuorum ſtudiorum patiatur, diſtinerem; cum ſuperveniens amicus, tui perquam Chriſtiane ſtudioſus, me certiorem facit a Sejano heri lectum tuum librum, illumque, tuis iratum auſibus, totum jacere in fermento, quod inanem ſuam fuiſſe operam, qua te revocatum ad ſanam mentem putaverat, indignatur. ferulas, flagra, & ſcuticas jam iccirco expediit, quibus te rurſus liberaliter excipiat. His intellectis, meum exiſtimavi, rem tibi ſignificare, ut pericula, quæ tuo corio imminent a Sejano, quantum fieri poſſit amoliaris. Vereor tamen, ut illa effugias, quod (ut expertus optime noſti) res tibi ſit cum homine, qui cum a ſciolis tui ſimilibus pœnas temeritatis expetit, contentus nunquam eſt, niſi cum flagra multo illorum cruore oblita, & imbuta, totumque corpus vibicibus lividis exaratum, videt. Monitus, tibi cautè proſpice, atque in tanta re, conſule, de more, nobile par illud cucullatorum, qui tui libelli calumniis, & blaſphemiis ſupparaſitantur, alter quidem livore, quo macreſcit, alter vero diobolari doctrina, qua non unis concellitis, ſed omnibus quotquot ho-

hodie vivunt, ſe anteire blandulo ore, ipſe ſui teſtis idoneus, affirmat. Adi præterea Cyriacum Sophiſtam, libris proſcribendis inhiantem, qui ægræ tuæ mentis deliria judicio ſuo comprobavit. Poſtremo loco tantis conſiliariis adde & Syriaci nominis ſacrificulum, qui graviſſimi ſui muneris, quo fungitur, oblitus, nefarii tui voluminis exemplaria oſtiatim primariæ dignitatis viris diſtribuere non erubuit, ut gratiam, non tuam, qui nullam habes, ſed alienam qua paſcitur, religionis & ordinis proprii contemptu, aucuparetur. Hæc habui ſuperioribus adjicienda, tecum, me a blandis illecebris abhorrentem, ac adulandi neſcium, omnino eſſe facile intelliges, ſi veritati acceſſus a te ullus patuerit. Vale, & reſipiſce. Dabam raptim Patavii prid. Nonas Decembris, anno MDCCVIII.

F I N I S.

99 858934

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google